



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Quid uidebitis in Sunamite, nisi choros castrorum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

dicta, & inter omnia, quæ in figura contingebat sunt æstimanda. Vestimenta enim, quibus eum operiretur rex Dauid senex, non calefiebat, carnales cæremoniz sunt, quas ille antiquus dierus deus cum sibi offerrentur, non delectabiliter accipiebat, imo dicebat. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Et multa his similia. Porro Sunamitis, puella speciosa, sola digna est stare coram deo rege, & in sinu eius dormire, ipsumq; calefacere, id est, bene calentem charitatis eius gloriam, scilicet remissionem peccatorum obtinere: Tu ergo Sunamitis reuertere, ut intueamur te, id est, unde iustificatus est Abraham, inde iustificari speret omnes qui uolunt esse uel ueraciter dici filij Abrahamæ, scilicet non ex lege, sed ex fide: & nos intuebimur te, nos gaudebimus super te. Notum hoc debet esse amicis, imo adulescentularum multitudini, & ideo dico eis.

Quid uidebitis in Sunamite, nisi choros castrorum?

Quid inquam aliud? Nunquid sanguinem uictimarum? Nunquid circumcisionis cauterium? Nihil omnino nisi choros castrorum, id est, laudes siue cantiones præliantium, prælia laudantium siue cantantium, quod suauissimum, quod uere est pulcherrimum. Immola deo sacrificium laudis (ait ipse in Psalmista) & redde altissimo uota tua. Laudando chori præliantur, præliando castra laudant, & omnino est iustitiæ DEI subiecti, non suam uelle statuere iustitiam. Ni

(hil aliud uidebitis, aut uidere desyde

Gal. 4

I. Cor. 10.

Psal. 49.

Roma. 10

RUPER. IN CANT. CANT. CA. VII.

Actu. 15

I. Cor. 1.

rabitis: sed & si quis uestris o amici auditoribus ostendere uoluerit, uos cum spiritu sancto, spiritu consilij econtra dicetis. Visum est enim spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris, quam hæc necessario, ut abstinere uos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, & ea quæ uobis fieri non uultis, alijs ne feceritis. A quibus custodientes uos, bene agetis. Igitur hoc solum in euangelio uidendum atq; prouidendum est secundum fidem patrum, ut sint chori castrorum, chori in uina fide, dicendo idipsum, castra resistendo usq; ad sanguinem contra peccatum.

¶ Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia principis.

¶ Tibi dico o Sunamitis, cui dixi reuertere, & quæ iam reuertes, te appello filiam principis, & hæc dico tibi, quia pulchri sunt pedes tui in calciamentis. Quæritis ne adolescentulæ, cur Sunamiten iam dictam nominem filiã principis, uel cuius dicam filiam principis? Discite hoc ex amicis, & ex illo præcipue, cuius in anima ualde claruit illa reuersio, quam inclinans dixi, reuertere reuertere Sunamitis. Insigniter quippe reuersa est anima illius de lege factorum ad legem fidei. Ille nos filiam principis cognoscere docet his uerbis: Scriptum est (inquit) quoniã Abraã duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: quæ autem de libera, per reuersionem. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, & cætera usq; itaq; fratres iam

Gal. 4: